

## E P I S T O L A

culo contemplentur. Nam cur Christiani minus hac contemplatione nos oblectaremus; quorum proprium est, Deum vero cultu celebrare, venerari, admirari? id quod tanto deuotiori animo fit, quanto rectius, quæ & quanta condiderit noster Deus, intelligimus. Sanè quam plurimos hymnos in Conditorem, verum Deum cecinit verus Dei cultor Dauides; quibus argumenta ex admiratione cælorum dedit. Cœli enarrant, inquit, gloriam D E I. Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuoum, Lunam & stellas, quæ tu fundasti: Magnus Dominus noster, & magna virtus eius; qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus nomina vocat. Alicubi plenus spiritu, plenus sacra lœticia exclamat, ipsumq; mundum acclamat, Laudate cœli Dominum, Laudate eum Sol & Luna, &c. Quæ vox cælo? quæ stellis? quæ Deum laudent instar hominis? Nisi quòd, dum argumenta suppeditant hominibus laudandi Dei, Deum ipsæ laudare dicuntur. Quam rem, cœlis & Naturæ rerum dum aperimus his pagellis, clariorēm efficiimus: nemo nos vanitatis, aut inutiliter sumpti laboris arguat.

Taceo, quòd hæc materia, Creationis, quam negarunt Philosophi, magnum argumentum est: dum cernimus, uti Deus instar alicuius ex nostratis Architectis, ordine & norma ad mundi motionem accesserit, singulaq; sit ita dimensus; quasi non ars naturam imitaretur, sed Deus ipse ad hominis futuri morem ædificandi, respexit.

Quanquam quid necesse est, diuinorum rerum usus instar obsonij nummo æstimare? Nam quid quæso prodest ventri famelico cognitio rerum naturalium, quid tota reliqua Astronomia? Neque tamen audiunt cordati homines illam barbariem, quæ deserenda propterea ista studia clamitat. Pictores ferimus, qui oculos, Symphoniacos, qui aures oblectant: quamuis nullum rebus nostris emolumenatum afferant. Et non tantum humana, sed etiam honesta censetur voluptas, quæ ex utrorumq; operibus capitur. Quæ igitur